

S. IV. Non tamen dispensare in ulla irregularitate.

Confessarius jubilaris in nulla irregularitate vi Jubilæi dispensare potest. Ratio est, quia in Bulla Jubilæi expressè dicitur, quòd nemini liceat super ulla irregularitate dispensare: unde cum non distinguit Bulla inter irregularitatem ex delicto, & irregularitatem ex defectu, nec nos distinguere debemus. Ita Suarez, Molina, Filliucius, Reginaldus &c. qui apud Viva de Jubilæo question. 10. artic. 1. censent, oppositam sententiam carere quavis probabilitate.

Quæres. An, & qualis Pœnitentia à Confessario tempore Jubilæi injungenda sit?

Respondeo tempore Jubilæi est cuius injungenda aliqua pœnitentia saltem levis à Confessario, si non vindicativa, certè medicinalis, quæ tollat peccatorum reliquias, lapsusque futuros præcaveat. Ratio est: tum quia Bullæ jubilaris absolutè imperant esse injungendam pœnitentiam salutarem: tum quia pœnitentia est pars saltem integralis Sacramenti pœnitentiæ, qua non debet tam facile destitui. Non dissimulandum tamen, tempore Jubilæi (quando probabiliter creditur pœnitens lucraturus Jubilæum) per se loquendo, nisi status pœnitentis exigat medicinam acriorem pro peccatis etiam gravibus, injungi posse pœnitentias leviores: tum quia opera præscripta pro lucrando Jubilæo obtinendo vicem pœnitentiæ majoris: tum quia pœnitentes sic alliciuntur ad alacrius obeunda opera imperata. Communis Doctorum cum Gobat de Jubilæo cap. 25. Plura de hac re diximus hoc capite supra section. prima, question. tertiam, n. 41.

QUESTIO III.

Qualem potestatem habeat Confessarius pro Jubilæo electus circa commutationem Votorum?

SUMMARIUM.

- 220 Confessarius virtute Jubilæi nequit dispensare in votis.
221 Bene verò ea commutare potest, etiam extra confessionem.
222 Etiam in opera aliquantò minoris valoris.
223 Qualis causa ad commutandum requiritur?
224 Quando possit fieri commutatio?
225 An etiam juramenta commutari possint?
226 An etiam pœna ob vorisfragium incurta commutari possit?
227 An etiam promissiones factæ sanctis.
228 Recensentur plura vota commutabilia per Jubilæum.
229 Quenam vota sint Pontifici reservata?
230 In Jubilæo nequit commutari votum castitatis, & quale debeat esse.
231 & 232 Similiter nequit commutari in Jubilæo votum Religionis, & quale debeat esse.
233 Nec in Jubilæo commutari possunt vota, vel juramenta, quæ cedunt in præjudicium tertii.

ASSERTIO III.

Confessarius pro Jubilæo electus, non potest dispensare, bene verò commutare omnia vota, exceptis votis castitatis integræ & perpetuæ, & Religionis ab Ecclesia approbatæ, & quæ cedunt in præjudicium tertii. Communissima apud citandos Doctores.

S. I. Confessarius pro Jubilæo electus non potest dispensare.

VI Jubilæi in votis. Patet ex bulla Jubilæi, in qua non datur potestas dispensandi in votis, sed tantum commutandi; jam autem valde diversa sunt commutare votum, & dispensare in voto: siquidem dispensare in voto, est nomine Dei absolutè condonare obligationem voti: commutare verò est condonare cum onere, nempe, ut loco prioris obligationis suscipiatur alia. Cum igitur in Bullis Jubilæorum ordinariè dicatur: Poterunt eligere Confessarium, qui vota quæcumque ab eis emissa (Castitatis, & Religionis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutet, Confessarius jubilaris non habebit potestatem dispensandi in votis, sed tantum commutandi. Gobat de Jubil. cap. 37.

S. II. Bene verò commutare.

VOta in Jubilæo, etiam extra confessionem, imò etiam abiens, & cui pœnitens non cogit confiteri, etiam si in Bulla Jubilæi dicitur: Eorum Confessionibus diligenter auditis. Henriquez, Sanchez, Diana, alique plures cum Gobat citat. nu. 283. Quia ista clausula; Eorum confessionibus diligenter auditis, refertur tantum ad absolutionem à peccatis reservatis, non verò ad absolutionem à censuris, aut ad commutationem vororum. Item commutatio fieri potest in Jubilæo à Confessario, antequàm quis ullum ex præceptis operibus exequatur, dummodò verum habeat exequendi animum, & efficax propositum. Ita plerique teste Gobat citat. cap. 39. numer. 303. Nam Pontifices potestatem commutandi nullo vocabulo restringunt ad opera iam perfecta: Et proinde potest etiam fieri ante confessionem, & quidem ab illo, cui non cogit confiteri; ut docet Henriquez lib. 7. cap. 30. numer. 6. Sanchez de voto, cap. 54. numer. 15. Contra Sayrum, Beiam, Sorbum. Ratio est, quia actus commutationis non habet ullam ab actu confessionis dependentiam: ergo non est opus, ut fiat à Confessario, ut Confessario. Nec verum est, quod aliqui docent, scilicet vororum obligationem reviviscere, si contingat vel ex inconstancia, vel ex impotentia omitti prædictorum operum executionem, quia commutatio communiter fit absolute, & non sub conditione de futuro. Gobat citat. numer. 303. quia antea numer. 296. præmiserat; commutatio vororum faciendâ est absolute, non autem sub conditione de futuro. Licet enim potestas commutandi vota in hoc etiam differat à potestate absolvendi à censuris, & reservatis, quòd graviter peccaret Confessarius, qui diceret: Absolvo te ab hac censura, & ab hoc peccato, dummodò reipsa exequaris opera præscripta: non autem per se loquendo peccaret, qui diceret: commuto tua vota, dummodo reipsa exequaris opera in Bulla præscripta. Melius tamen est, si commutatio fiat absolute, quia melius est non facere restrictionem, ubi non facit Papa. Et singulariter notat Suarez lib. 6. de voto, cap. 6. numer. 10. Cavendum, ne unquam Confessarius commutet sub conditione, si ipsammet indulgentiam fueris reipsa consecutus: quis enim sciet unquam, se reipsa potitum esse indulgentia?

II. In Jubilæo commutatio vororum potest fieri in opera aliquantò minoris valoris, quàm fuerit opus voto promissum. Lessius lib. 2. de justit. cap. 40. num. 109. cum permultis, quos sequitur Diana part. 1. tom. 11. Resolut. 40. Contra Sanchez, & alios. Ratio est, quia probabilissimum est, quòd quis propria Auctoritate possit summere votum commutare in rem evidenter æquè bonam: ergo Confessarius potest in aliquantò minore commutare vi Jubilæi, ne ceteroqui Privilegium sit frustra, contra rationem cap. si Papa de Privileg. in 6. Et expedit, ut vorum commutetur in res, quas vovens solebat ex devotione facere: At non est faciendâ in res, iam aliunde ex gravi obligatione præstandas, quia talis commutatio cederet in immutationem cultus Divini: nam unum bonum opus loco duorum obiretur. Gobat cit. num. 302.

III. Si pœnitens petat commutationem voti, non adferens ullam aliam tuæ petitionis causam, nisi quia ita ipsi placet, oportet ei acquiescere, modò habeat veram intentionem opera præscripta exequendi; nam illorum executio est vice iustæ causæ. Ita sentiunt Sanchez de voto, capite 30. num. 19. & Suarez lib. 6. de voto cap. 19. num. 10. loquentes quidem de commutatione in rem æqualem: potest tamen rationabiliter extendi hæc doctrina ad commutationem in rem aliquantò minorem, quia Bullæ jubilaris absolute, & sine ulteriori exactione dicunt: Qui opera præscripta fecerit, poterit eligere confessarium, qui vota commutet.

IV. Potest commutatio voti intra tempus Jubilæi ita fieri, ut tamen tunc non fiat actualis subrogatio in locum materiæ voto promissæ, nam potest Confessarius dicere pœnitenti: Ex nunc commuto tuum votum in illam rem, quam tibi designabo post tres, vel quatuor hebdomadas: sic docet Sanchez lib. 4. de voto, cap. 54. numer. 32. post Rodriguez, & alios. Ratio est, quia ut dicitur questione sequenti: potest Confessarius post decem annos designare illam rem, etiam si tempore Jubilæi nihil audisset de tuo voto: quantò magis, si illud ei exposuisti? imò poterit Confessarius dicere: commuto tuum votum in rem illam, quam talis aut talis vir doctus à te consultus iudicaverit prudenter substituendam. Lessius apud Gobat citatur numer. 304. Ratio est quia ille, qui præcisè substituet aliam rem, non exercebit ullum actum iurisdictionis; ergo ei poterit dari potestas substituendi. Si autem antequàm ab illo viro docto fiat actualis

actualis subrogatio, occurrat occasio voti observandi, non peccabit pœnitens illud non observando; nam revera jam est facta commutatio; adeoque cessat voti obligatio, & adest iam alia: scilicet acceptandionus, quod ab illo viro docto imponitur pro toto voto. Ita Sanchez, Lessius, Portel. Gobat citat. numer. 306. similiter Confessarius potest commutationem ipsammet differre in unam, vel alteram hebdomadam post Jubilæum dicendo pœnitenti: Ego commutaborum votum, ubi maturius cogitaverò, quid ad animæ tuæ salutem, & profectum maxime expediat. Suarez lib. 6. de voto, cap. 16. num. 15. Sanchez, Portel. Gobat num. 307. & quidem potest hoc facere Confessarius, etsi nullum in specie votum intelligat: si enim pœnitens dicat, se habere plura vota, quorum commutationem petat, potest Confessarius impeditus aliis negotiis ei respondere; Illa vota mihi post exactum Jubilæum indica, & commutabo. Sic Sanchez, & Palau cum Gobat citat. & extendit hæc doctrinam Sanchez ad vota reservata Pontifici extra Jubilæum.

S. III. Omnia Vota.

I. NOMEINE Voti in Jubilæo commutabilis, intelliguntur etiam juramenta soli Deo facta circa eam materiam, circa quam versantur ipsa vota per Jubilæum commutabilia. Suarez lib. 6. de voto, cap. 14. num. 6. Sanchez lib. 4. Summ. cap. 53. num. 8. Tannerus tom. 3. disput. 5. quest. 5. numer. 38. contra Lessium, Azorium, & alios. Ratio est: quia quando Papa dat potestatem commutandi vota; habet rationem solius juris, quòd Deus per votum acquisivit: nam suum favorem impertit intentione relaxandi aliquatenus illud jus; idem autem jus acquisivit DEUS, per votum, quod per juramentum. Ergo. Proinde intelliguntur quoque Vota juramenta firmata, sive illud juramentum non sit emissum ad ea vota firmata, sed tantum concomitante se habeat ad illa, sive sit emissum ad eadem novo robore firmata. Suarez citat. cap. 14. numer. 19. Diana part. 1. tom. 11. Resolut. 43. Gobat cit. numer. 287. Contra Lessium, & alios; Ratio est, quia juramentum voto firmando superadditum, non parit Deo majus jus, quàm si votum firmaretur per sui renovationem; sicut igitur votum mille renovatum potest per Bullam Jubilæi commutari; ita & firmatum per mille juramenta.

II. NOMEINE Voti per Jubilæum commutabilis venit etiam consequenter ipsa pœna, quam promissas te persolutorum si votum transgredieris, esto reipsa jam incurrisse illam pœnam. Suarez cit. lib. 6. cap. 20. numer. 19. Sanchez lib. 4. Moral. cap. 52. num. 10. Contra Navarrum, & alios. Ratio est, quia votum quodammodo magis obligat ad directam materiam, in quam cadit, quàm ad pœnam. Si ergo possim commutare illud quoad materiam, cur non quoad pœnam?

III. Etsi promissio facta alicui Sancto non sit propriè votum, nisi quatenus homo voverit Deo, se implendum, quod Sancto promissit, juxta sanctum Thomam 2. 2. quest. 88. art. 5. ad 3. si tamen quis voverit, seu promissit quidpiam alicui Sancto; non cogitans de Deo, potest Confessarius tempore Jubilæi tale votum, seu potius talem promissionem commutare: licet enim non sit propriè votum, solet tamen à vulgo votum nuncupari: & proinde potest ad illam extendi privilegium commutandi quæcumque vota, quandoquidem saltem in favorabilibus verba accipiendâ sunt secundum communem usum. Itaque vi hujus privilegii potest commutari tum illa promissio, quam facis dicendo: Voveo Deo, & Beatissime Virgini; me in hujus honorem ter recitaturum Rosarium: tum illud, quo: Sanctissima Virgo tibi promitto, me omnibus diebus Sabbatinis recitaturum in tuum honorem. Ita Suarez libro sexto, capite decimo quinto, numero decimo. Gobat cit. num. 289.

IV. In Jubilæo possunt etiam commutari vota. 1. Quorum commutationem se non petitorum quis voverit. 2. Quæ quis emissit post Bullam Jubilæi jam publicatam. 3. Quæ quis edidit ob spem, & confidentiam obtinendâ brevi commutationis, Gobat de Jubilæo cap. 38. numer. 291. Ratio est, quia vota præfata non sunt excepta in Bulla jubilaria. 4. Quando pœnitens dicit, se fecisse quidem votum, sed non scivisse, quòd pareret gravem obligationem, non est opus commutatione, quia votum est nullum ob errore substitutionalem, Gobat cit. numer. 293. 5. Quando quis verè dubitavit, utrum aliquod votum emisisset, seu utrum verè promissit Deo, an tantum proposuerit, locum non habet commutatio, sed declarare oportet, quòd non sit votum. Ita Suarez lib. 4. de voto, cap. 5. cum plerisque contra Vasquez. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem à voto. 6. Si quis petat commutationem voti ante pubertatem emissi, debet ei potius dici, ut à Patre, aut iis,

qui ipsius personæ curam gerunt, petat irritationem omnimodam quàm ut admittat commutationem: quamquàm hæc ei neganda non sit, si irritationem petere non velit. Gobat numer. 295. 7. Vota personalia accennodè commutantur in personalia, realia in realia: non tamen est necessè se observare hunc modum, sed potius attendendum, quid sit conducibilius saluti pœnitentis: ut providè notat Lessius apud Gobat citat. cap. 39. numer. 301. Quoniam odo autem, vel in quæ, & qualia opera vota commutanda sint, docet fuse P. Sporer tr. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 3. sect. 4. à numer. 121 quem vide.

S. IV. Exceptis votis castitatis integræ, & perpetuæ, & Religionis ab Ecclesia approbatæ, & iis, quæ cedunt in præjudicium tertii.

I. SUPPONO ex Patre Sporer tract. 3. in 2. præcept. Decalogi, cap. 3. sect. 3. numer. 56. Vota Summo Pontifici reservata jure communi esse tantum quinque, nimirum Votum Religionis approbatæ ab Ecclesia Catholica Romana; Votum castitatis, seu continentia integræ, & perpetuæ: & vota trium peregrinationum Hierosolymitanæ ad Sanctum Sepulchrum; Romanæ ad limina Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Compostellanæ ad Divi Jacobum, quæ quinque vota ita sunt reservata, ut eorum dispensatio, vel commutatio per nullam Bullam censetur concessa, nisi exprimat, & ita quidem, ut si in Bulla ponantur hæc præcisè verba; Datus potestatem commutandi omnia vota, etiam triplicis peregrinationis, non intelligantur omnia vota, castitatis, & Religionis. At quando Bulla habet, sicut communes Bullæ Jubilæi: Datus potestatem commutandi omnia vota, exceptis votis castitatis, & Religionis, hoc ipso dari potestatem commutandi votum triplicis peregrinationis, docet usus, teste Gobat de Jubilæo cap. 40. num. 210. Si tamen Bulla Jubilæi solum diceret, conceditur potestas commutandi omnia vota, non censeretur concessa potestas commutandi quinque vota Papæ reservata: quia hæc quinque vota speciali nota digna sunt, adeoque exprimi debent, Communis Doctorum, Suarez, & plurimis citatis Sanchez lib. 3. cap. 40. numer. 6. His suppositis, cum vota castitatis, & Religionis in omni Jubilæo reserventur, & excipiantur, videndum est, quale votum castitatis, & Religionis sit reservatum. Itaque

II. Ut Votum castitatis in Jubilæo sit reservatum, debet esse votum propriè dictum, perfectum, determinatum, absolutum, castitatis integræ, & perpetuæ, hoc est, perpetuæ in futurum abstinentiæ ab omni voluntaria delectatione venerea, tam extra, quàm intra conjugium. Ita Doctores communiter apud Gobat citat. num. 312. & P. Sporer citat. numer. 57. Ratio est, quia cum reservatio sit odiosa, strictè interpretanda est, ut solum comprehendat Votum propriè dictum, perfectum, determinatum, absolutum, castitatis integræ, & perpetuæ, quas particulas bene, & sufficienter explicat P. Sporer cit. num. 58. & seqq. quo lectorem remittimus. Unum tamen vel alterum addere placuit. 1. Quando Votum castitatis integræ, & perpetuæ est emissum cum animo se obligandi solum sub veniali, est dispensabile in Jubilæo. Sanchez, & Gobat citat. numer. 316. In Jubilæo commutari possunt omnia vota partialia castitatis seorsim emissa, etiam si collectim sumpta compleant integrum votum castitatis. Ita Sanchez lib. 4. cap. 40. num. 68. & alii apud Viva de Jubilæo, quest. 12. art. 2. num. 10. Quia nullum ex his est votum castitatis perfectum, quod unicè est reservatum; & quamvis ultimum ex illis ex suppositione præcedentium, inducat obligationem ad castitatem perfectam, hoc non habet per se, quia ratione sui obligat tantum ad partem castitatis, sed per accidens, quatenus supponit in vovente obligationem ad alias partes castitatis. Secus foret si ultimum votum emitteretur cum positiva intentione se obligandi ad castitatem perfectam.

III. Ut Votum Religionis sit reservatum in Jubilæo, debet esse votum propriè dictum, perfectum, determinatum, absolutum, Religionis ab Ecclesia approbatæ, ob eandem rationem, ob quam numero præcedenti diximus, votum castitatis, ut sit reservatum in Jubilæo, debere esse votum propriè dictum, perfectum, determinatum, absolutum, &c. quas particulas Vide apud Patrem Sporer loco citato explicatas, præsertim numero 68. Per votum ingrediendi aliquam religionem, tum etiam ipsa tria vota substantia, per quæ quis fit vere Religiosus. Ita supponunt passim Doctores, confirmatque usus perpetuus, & docet in terminis Suarez tomo tertio, de Religione lib. 4. quarto, capite septimo, numero secundo. Intelliguntur quoque non incongruè illa vota, quæ nonnullæ Religiones solent tribus substantiilibus addere, ut est verbi gratia Votum Fratrum Minorum de

de Vita quadragesimali, Monialium S. Clarae de clausura, &c. Gobat cit. cap. 21. num. 318.

232 Uno verbo potest Confessarius vi Jubilaei commutare vota castitatis, & religionis in omnibus casibus, in quibus potest ipse Episcopus extra Jubilaeum ex sua potestate ordinaria. Ita Gobat cit. num. 320. Ratio est, quia tunc jam desunt per se reservata esse Pontifici.

An Juramenta castitatis, vel Religionis vi Jubilaei commutari possint, colliges ex Patre Sporer tractatu tertio, in secundum praeceptum Decalogi, capite tertio, sectione quarta, numero 97.

233 IV. Denique in Jubilaeo commutari nequeunt vota: quorum commutatio cederet in praedictum tertii, ut verbi gratia quando jam sunt acceptata. Suarez lib. 6. cap. 15. num. 11. Gobat cit. cap. 38. num. 290. Idem est de Juramentis. Et haec potestas semper tacite negatur, quando solum dicitur: Do tibi potestatem commutandi quaelibet Vota. Suarez ibidem. Ratio est: Pontifex per Bullam Jubilaei nec vult, nec potest laedere Jus tertii. De hac re plura videntur apud Patrem Sporer tract. tertio, in secundum praeceptum Decalogi capite tertio, sectione quarta, numero 94. & seqq. item num. 102. & seqq.

QUESTIO IV.

& Ultima.

Quas gratias etiam diu post lucratum Jubilaeum quis obtinere valeat vi lucrati Jubilaei?

SUMMARIUM.

- 235 Jubilaeum semel obtentum quales favores post se trahat, etiam post elapsam Jubilaei tempus?
- 236 Post obtentum, & transactum Jubilaeum potest quis adhuc absolvi à casibus reservatis.
- 237 Et ejus vota commutari.
- 238 Etiam si Bulla Jubilaei dicat. Hac vice tantum.
- 239 Modò isti casus reservati tempore Jubilaei jam fuerint incurssi, & vota jam emissa.
- 240 An peccet, qui concessum Jubilaeum non lucratur.

ASSERTIO IV.

234 Jubilaeum semel obtentum dat Jus omni tempore, etiam post Jubilaeum, eligendi Confessarium pro iis gratiis acquirendis, quae tempore Jubilaei obtineri poterant, & tamen obtentae non fuerunt. Hinc potest aliquis post obtentum, & transactum Jubilaeum à casibus reservatis absolvi, & ejus vota commutari, modò isti tempore Jubilaei jam fuerint incurssi, & haec jam emissa. Doctores citandi.

§. I. Jubilaeum semel obtentum.

235 DAT Jus omni tempore etiam diu post Jubilaeum, eligendi Confessarium; pro illis gratiis acquirendis, quae tempore Jubilaei obtineri poterant, & tamen obtentae non fuerunt. Ita Navarrus, Layman, Cotonijs, Lugo, Gobat de Jubilaeo cap. 31. num. 242. Viva de Jubilaeo, qu. 11. art. 4. & alii. Ratio est, quia Bulla Jubilaei non dicit: Qui intra duas hebdomadas jejunaverit &c. poterit eligere Confessarium, qui intra illas duas hebdomadas absolvat &c. Sed simpliciter, & sine limitatione dicit: Poterit eligere Confessarium, qui illum absolvat &c. Et licet in Bulla Jubilaei fiat mentio Confessarii in singulari numero, attamen potest quis favores Jubilaei petere à diversis, singulos à singulis. Ita Lugo tom. 3. in 3. part. d. sp. 27. num. 120. Sanchez lib. 4. Moral. cap. 64. num. 17. Ratio est, quia Bullae Jubilaei, quas novissimi Pontifices ediderunt, non indicant ullam necessitatem petendi hos favores ab uno, & eodem Confessario: Ergo possunt peti à diversis, singuli à singulis.

§. II. Hinc potest aliquis post obtentum, & transactum Jubilaeum.

236 ABSOLVI à casibus reservatis, quorum manifestationem omisit in confessione tempore Jubilaei facta, vel ex oblivione inculpabili, vel alia justa de causa, quae excuset ab integritate materiali confessionis. Idem dicendum de absolutione à censuris reservatis, & hoc ab omni Confessario; dummodo habeat jurisdictionem in communia peccata mortalia, Gobat citatus numero 143. Layman libro quinto, tractatu septimo, capite octavo, numero nono. Navarrus in Manuali cap. 26. numer. 13. Viva cit. & alii. Ratio ultior est: Quia absolvens in Jubilaeo voluit absolvere, à quibus

potuit, sed ab his, videlicet à reservatione, & censuris reservatis absolvere potuit: ergo absolvit. Si tamen tempore Jubilaei facta concessio fuerit formaliter sacrilega, tunc post Jubilaeum nequit communis Confessarius absolvere talem poenitentem à casibus, & censuris reservatis tempore Jubilaei confessis, vel oblitis, quia, ut supradictum, talis non fuit lucratum Jubilaeum: cum ad hoc obtinendum non sufficiat confessio sacrilega. Idem dicendum de commutatione votorum. Insuper si quis tempore Jubilaei legitime confessus sit cum intentione perficiendi opera praescripta, & mutata intentione non perfecit, vel ex impotentia, vel ex sua culpa, poterit quidem post Jubilaeum accipere absolutionem à reservatis tunc inculpabiliter oblitis, velex justa causa omisit à communi Confessario habente jurisdictionem in communia peccata mortalia, sed non commutationem votorum; cum nullum jus, vel privilegium ejusmodi commutationi suffragetur, bene vero absolutioni à reservatione, & censuris, quia Confessarius tempore Jubilaei electus ab his potuit absolvere, & absolvit, vota vero non commutavit pro tunc, & nec etiam nunc commutare potest, quia poenitens non est lucratum Jubilaeum, adeoque non habet jus ad petendam votorum commutationem. Ita Sanchez, Henriquez, Bossius, Viva de Jubilaeo, questione undecima, articulo quarto, numero quarto, & alii.

§. III. Et ejus Vota commutari.

QUI fecit omnia ad lucrandum Jubilaeum requisita, potest multis etiam annis post Jubilaei tempus transactum obtinere à quovis id temporis approbato Confessario commutationem votorum omnium, quorum commutationem tempore Jubilaei petere potuisset, & petere oblitus es, vel etiam noluisse, exceptis votis castitatis, & religionis. Ita Thomas, Sanchez libro quarto de Voto cap. 54. numer. 39. & 41. Lessius libro secundo, de Justitia cap. 40. num. 109. Sanctarellus de Jubilaeo, capite decimo tertio, numero primo. Portel. de Dubiis Regularibus V. Indulgentia pro Jubilaeo numero septimo. Palaus parte quarta, tractatu vigesimo quarto, puncto duodecimo. Gobat de Jubilaeo cap. 32. num. 243. citans adhuc plures. Ratio supra §. 1. jam data est. Porro praedictis gratiis frui potest, qui lucratum est Jubilaeum, etiam si in Bulla Jubilaei dicatur: Hac tantum vice absolvat, &c. quia sensus horum verborum est, non quod solo tempore Jubilaei quis possit absolvi, &c. sed quod hoc solo tempore, quo durat favor Jubilaei adepti, vel adipiscendi, possit obtineri absolutio, commutatio, &c. Durat autem favor Jubilaei etiam post Jubilaeum obtentum, & transactum, ut constat ex dictis supra §. 1. numer. 233. ita Gobat de Jubil. cap. 34. numer. 266.

§. IV. Modò isti casus reservati tempore Jubilaei iam fuerint incurssi, & vota iam emissa.

239 RATIO est, quia Bulla Jubilaei nusquam concedit, quod aliquis à peccatis, aut censuris post Jubilaeum jam transactum, & finitum incurssi possit absolvi, sicut nec concedit, quod alicujus vota post tempus Jubilaei jam elapsum emissa possint commutari, ut patet legenti Bullas Jubilaeorum: ergo peccata, & censurae, à quibus post Jubilaeum transactum, vi lucrati Jubilaei absolvi potest, debent tempore, quo Jubilaeum obtentum fuit, jam fuisse contracta: sicut etiam Vota, quae post Jubilaeum, vi Jubilaei commutari possunt, debent tempore Jubilaei iam fuisse emissa.

240 Quaes: An peccet, qui concessum Jubilaeum non lucratur?

Respondeo: Per se loquendo, secluso contemptu, scandalo, &c. non est peccatum saltem grave omittere occasionem lucrandi Jubilaeum: omni tamen culpa vix absolvendus erit, qui ex mera pigritia, & incuria negligit acquirere Jubilaeum. Gobat de Jubilaeo, capite 40. Itaque conuenit Jubilaeum Ecclesiasticum lucrari in terris, ut aliquando consequamur Jubilaeum aeternum in Coelis. Amen.

APPENDIX.

De Suffragiis.

SUMMARIUM.

- 241 Quid sit suffragium?
- 242 Opus bonum ab homine justo factum habet fructum meritorium, satisfactorium, & imperatorium.
- 243 Datur communicatio suffragiorum inter fideles.
- 244 Etiam per modum satisfactionis.
- 245 Suffragia etiam possunt applicari Defunctis.
- 246 Qualiter haec applicatio fieri debeat?
- 247 An suffragia certo exhibenda praesint, antequam exhibeantur.
- 248 An restatori pro se restituta injuste ablatoz, & executio aliorum bonorum operum in testamento constituta?
- 249 An Defunctis pro se pulsus campanarum, accensio cereorum, sepultura in loco sacro? & seqq.
- 251 Tres conditiones requiruntur in eo, pro quo offertur Suffragium.
- 252 Et tres ex parte offerentis suffragium, & seqq.
- 253 Quid sentiendum de communicatione bonorum operum & indulgentiarum facta à Regularibus?

§. I. Fideles possunt se invicem vivos juvare Suffragiis.

I. Suffragium hic accipitur pro auxilio, quod unus fidelis alteri praebet ad consequendam poenae temporalis remissionem. Tale suffragium est triplex: Primum est Sacrificium Missae, de quo satis egit P. Sporer in sua Theologia Sacramentali. Secundum est indulgentia, de qua satis diximus in praecedentibus. Tertium tandem sunt operationes propriae penales, & satisfactoriae, ut orationes, jejunia, elemosinae, &c. Personae vero fideles, quibus haec suffragia applicari possunt, sunt duplicis tantum generis, nimirum fideles vivi, & fideles defuncti in purgatorio existentes, nam beati non egent suffragiis, & damnati non profunt. Igitur hic agimus de suffragiis ex opere operantis, seu de suffragiis bonorum operum, quae fideles aliis communicant.

242 II. Suppono, quodlibet opus bonum ab homine justo factum, triplicem habere fructum, nimirum meritorium, satisfactorium, & imperatorium. Fructus meritorius est, per quem meretur de condigno augmentum gratiae sanctificantis, & gloriae, & hic fructus juxta Doctores communissime omnes, nequit alteri communicari, sed est proprius operanti opus de condigno meritorium. La Croix l. 6. p. 2. n. 1327. fructus satisfactorius est, per quem facit pro poenis temporalibus, ex peccatis quoad culpam jam dimissis, restantibus. Imperatorium est, per quem à Deo impetratur beneficium aliquod ad animae, corporisque salutem conducens. Jam

243 III. Certum est de fide dari suffragiorum communicationem inter fideles, hoc est, communicationem bonorum operum, quibus mutuo se juvant: id enim aperte asserit in symbolo Apostolorum, ut notat Martinus noster, Theol. Moral. disp. 23. quest. 5. art. 1. num. 72. dum dicitur: Credo sanctorum communionem. Cujus articuli sensus est, ut docent Theologi omnes, in Ecclesia esse communionem bonorum operum inter homines justos, quatenus se invicem juvare possunt bonis operibus; nam homines justi sunt membra unius Corporis Ecclesiae sub uno capite Christo: unde Ephes. 4. comparat Apostolus Ecclesiam corpori humano, in quo sicut unum membrum alteri praebet auxilium, ita etiam in corpore Ecclesiae unus justus alteri auxilium praebere poterit per bona opera, & hoc etiam expressè deducitur ex illo Jacobi 5. orate pro invicem, ut salvemini, & Rom. 15. subiecit vos fratres per Dominum Jesum Christum, & charitatem spiritus Sancti, ut adjuvatis me in orationibus vestris pro me ad Deum. Ergo Fideles justi possunt se invicem juvare, & suffragari. Est autem duplex suffragandi modus inter fideles, scilicet per modum satisfactionis, & per modum impetrationis. Suffragari per modum satisfactionis est aliquam poenam, pro alio, seu pro poena, quam alter fidelis solvere debet, persolvere. Suffragari vero per modum impetrationis est, precibus absque ulla solutione poenae alterius, liberationem ab illa poena alteri impetrare, sive ut Deus immediate gratis condonet poenam propter orationes alterius, sive mediate, ut nimirum Deus det aliquod auxilium propter easdem orationes, quo alter operetur ad talem

remissionem obtinendam. Et haeretici quidem etiam nobiscum conveniunt, quod fideles se invicem vivos possint juvare, & suffragari per modum impetrationis, convicti nimirum ex textibus Sacrae Scripturae supra adductis: negant vero, quod fideles se invicem vivos possint per modum satisfactionis. Contra quos dicimus.

IV. Fideles possunt se invicem vivos juvare etiam ad satisfaciendum pro poenis temporalibus debitis pro peccatis quoad culpam jam dimissis. Ita Theologi communiter, Doctor noster Seraphicus Sanctus Bonaventura parti. 2. art. 1. Doctor Angelicus Divus Thomas, Doctor Subtilis quod l. 20. art. 1. Doctor irrefragabilis noster Alexander Alesius 4. parte, quest. 24. memb. 4. art. 4. Hoc expressè docet Catechismus Sancti Pii V. in fine de Sacramento Penitentiae: dicens: in eo summa Dei bonitas, & Clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus praedicanda est, qui humane imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio satisfacere possit. Ratio est, quia opera justi de se habent aequalitatem in ratione satisfactionis cum poena illa temporali, pro qua offeruntur: ergo justus per illa poterit pro alterius poena temporali satisfacere, alioquin neque pro se posset condigne satisfacere. Accedit, quia si impetratione possunt justi alii obtinere remissionem poenae, tantò magis poterunt oblatione poenae aequalis: cum facilius sit apud homines aequali, vel condigno pretio aliquid obtinere, quam gratis, & solis precibus. Nec obstat, quod justus nequeat alteri communicare fructum meritorium sui boni operis, & tamen possit satisfactorium, ac imperatorium, disparitas eadem est, quia quilibet tenetur plus se diligere quoad bona spiritalia gratiae sanctificantis, & gloriae, quam alium: siquidem quilibet tenetur plus velle diligere Deum, quam alios, si autem alteri communicaret suum meritum gratiae sanctificantis, & gloriae, talis non vellent Deum plus diligere in via, ac patria, quam alios. Aliud fuit in Christo, qui nobis etiam de condigno meruit gratiam, & gloriam, quia merita Christi sunt infinita: nostra autem sunt finita, & adaequate compensantur à Deo per gratiam, & gloriam nobis dandam, & decederet nobis, quidquid gratiae, & gloriae alteri mereretur de condigno. Nihilominus possumus etiam aliis mereri de congruo, puta peccatoribus justificationem, lapsus reparationem, justis perseverantiam, ut docet communis Doctorum in materia de merito. Sic Sanctus Stephanus meruit orando conversionem Saulo, & S. Monica suo filio Augustino prius Manichaeo: intellige tamen mediate, quatenus meruit gratiam efficacem, mediante qua conversio secuta fuit.

§. II. Fideles possunt suffragari, & juvare suis bonis operibus etiam defunctis.

244 I. Quoad Remissionem poenae temporalis in purgatorio alias exsolvendae, est de fide. Patet ex 2. Mac. 12. ubi dicitur, Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Veritas haec definita est in pluribus Conciliis, quae referunt Martinus cit. disp. 23. qu. 5. art. 1. nu. 78. ac novissime in Tridentino sess. 25. in Decreto de purgatorio: ita docente: Cum Ecclesia Catholica Spiritu Sancto edocita, ex sacris literis, & antiqua Patrum Traditione, in sacris Conciliis, & novissime in hac Oecumenica Synodo docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentis fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabilis Altaris sacrificio juvari. Idem docuerunt Sancti Patres. Et quidem secundum legem Dei ordinariam fideles possunt suffragari defunctis per modum satisfactionis tantum, quia Justitia Divina postulat, ut nullum peccatum remaneat impunitione, & jus Divinum laesum refarciatur: adeoque qui peccavit, vel debet à Deo puniri, vel ipse debet compensare poenam per operationes satisfactorias, vel alius pro illo. Attamen secundum legem Dei extraordinariam fideles vivi possunt suffragari defunctis etiam per modum impetrationis sine ulla solutione: siquidem etiam Principes terreni, extraordinarie quandoque, ad instantiam charorum Amicorum, gratis, & ex mera liberalitate, sine ulla solutione dimittere solent injurias, & offensas: ergo etiam idem Deus quandoque facere credendus erit.

246 II. Navarrus apud La Croix l. 6. p. 2. nu. 133. putavit eum, qui indiget satisfactione pro se, invalidè applicare alteri, sed communiter contradicunt omnes. Effet tamen contra charitatem propriam juxta Raynaudum apud La Croix citatum. Si quis multo reatu onustus morti proximis alteri applicaret omnes satisfactiones suas, nisi adverteret se facere per actum, ut nimirum Deus det aliquod auxilium illud compensaret: nam ex charitate trans-